

Decreto di mutamento del nome della diocesi di Macerata

Con decreto del Dicastero per i Vescovi del 17 dicembre 2022 (prot. n. 912/2022), il Santo Padre ha accolto la richiesta di mutamento del nome della diocesi di Macerata – Tolentino – Recanati – Cingoli – Treia, presentata dall'Ordinario S.E.R. Mons. Nazzareno Marconi, e ha predisposto quanto segue:

- la diocesi conservi il solo nome di *Macerata*;
- le altre quattro diocesi, menzionate nel nome della sede, siano annoverate tra le sedi titolari;
- il titolo di chiesa cattedrale sia attribuito alla *Chiesa di San Giovanni*, mentre l'attuale cattedrale prenda il nome di *Duomo di San Giuliano* in Macerata;
- le attuali quattro concattedrali siano chiamate: in Tolentino, *Duomo di San Catervo*; in Recanati, *Duomo di San Flaviano*; in Cingoli, *Duomo di Santa Maria Assunta*; in Treia, *Duomo della Santissima Annunziata*;
- la Patrona principale della diocesi di Macerata sia la B.V.M. *Madre della Misericordia*.

Roma, 17 dicembre 2022

Prot. N. 912/2022



CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

Dicasterium pro Episcopis dal 5 giugno 2022

MACERATENSIS-TOLENTINAE- RECINETENSIS-CINGULANAE-TREIENSIS

*De dioecesis nominis mutatione, de tituli Cathedralis translatione
et de Patronae Principalis dioecesis electione*

DECRETUM

Plenam optatam unionem Ecclesiarum Maceratensis, Tolentinae, Recinetensis, Cingulanae et Treiensis, instantibus precibus Concilii Oecumenici Vaticani II obsecundans, ratam Congregatio pro Episcopis habuit cum decreto diei 30 mensis Septembris anni 1986, quo nova dioecesis Maceratensis - Tolentinae - Recinetensis - Cingulanae - Treiensis appellabatur.

Cum interea rationes pastorales defecerint, ob quas servata erat pristina appellatio, Exc.mus P. D. Nazarenus Marconi, Antistes memoratae Ecclesiae, ab Apostolica Sede nuper expostulavit, ut, dimisso titulo Maceratensi-Tolentino-Recinetensi-Cingulano-Treienti, posthac sive dioecesis sive eius Episcopus nomine tantum Maceratensi uterentur.

Idem insuper petivit, ut Templum in oppido Maceratensi exstans, Deo in honorem Sanctorum Ioannis Baptistae et Ioannis Evangelistae dicatum, ad dignitatem Ecclesiae Cathedralis eveheretur atque Beata Maria Virgo Mater Misericordiae Patrona principalis dioecesis eligeretur.

Summus Pontifex Franciscus, divina Providentia PP., praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Aemilii Pauli Tscherrig, Archiepiscopi titulari Volitani et in Italia Apostolici Nuntii, necnon de consilio Dicasterii pro Episcopis, preces sibi admotas benigne accipiendas esse censuit.

Quapropter, rata huiusmodi nominis immutatione et de consensu, quatenus opus sit, eorum quorum interest vel interesse praesumitur, praesenti Dicasterii pro Episcopis Decreto, Summus Pontifex decernit, ut ab hodierna die:

- dioecesis Maceratensis-Tolentina-Recinetensis-Cingulana-Treiensis solummodo Maceratensis posthac nuncupetur et eius Episcopus Maceratensis appelletur;

- tituli sedium Tolentinae, Recinetensis, Cingulanae et Treiensis, ne omnino pereant, inter sedes titulares insereantur atque Episcopis conferantur, qui titulares nuncupentur;

- Templum in eodem oppido Maceratensi exstans, Deo in honorem Sanctorum Ioannis Baptistae et Ioannis Evangelistae dicatum, ad dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehatur, omnibus cum iuribus, honoribus et privilegiis necnon oneribus et obligationibus huiusmodi Ecclesiarum propriis;

- Templum in oppido Maceratensi extans, Deo in honorem Sancti Iuliani dicatum, hactenus Ecclesia Cathedralis, Templum maximum (vulgo Duomo) vocetur;

- alia Tempia, hactenus Ecclesiae Concathedrales, eodem nomine Templi maximi nuncupentur, scilicet *Tolentini* : Templum Deo in honorem Sancti Catervi dicatum ; *Recinetti* : Templum Deo in honorem Sancti Flaviani dicatum ; *Cinguli* : Templum Deo in honorem Sanctae Mariae Assumptae dicatum ; *Treiae* : Templum Deo in honorem Sanctissimae Annuntiatae dicatum.

Denique idem Summus Pontifex decernit ut Beata Maria Virgo Mater Misericordiae Patrona principalis dioecesis eligatur.

Ad haec perficienda Dicasterium pro Episcopis memoratum Exc.mum P.D. Aemilium Paulum Tscherrig deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad idem Dicasterium, ubi primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis transmittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Dicasterii pro Episcopis, die 17 decembris anno 2022.

✠ Card. Marc Ouellet
Prefetto

✠ S.E.R. Mons. Ison De Jesus Montanari
Segretario